

In: 4848
c. 2

D. A.

DISSERTATIO BOTANICA

Siftens

SPLACHNUM,

QUAM

SUFFRAGANTE AMPLISS. FACULT. MED.

IN

REGIO ATHENÆO UPSALIENSI,

PRÆSIDE

VIRO CELEBERRIMO ET EXPERIENTISSIMO

CAROLO LINNÆO,

S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO

MED. ET BOTAN. PROFESSORE REG. & ORD.

ACAD. IMPER. MONSP. BEROL. STOCK-

HOLM. ET UPSAL. SOCIO,

PUBLICÆ CENSURÆ MODESTE SUBJICIT

LAUR. MONTIN JONÆ FIL.

GOTHOBURGENSIS

IN AUDIT. CAROL. MAJ. DIE 20 MARTH

ANNI MDCCCL.

H. A. M. S.

STOCKHOLMIÆ,

Typis LAURENTII SALVII.

c. T.

25

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
Reverendissimo Patri ac Domino,
D:o GEORGIO WALLIN,
S.S. Theol. DOCTORI Consummatisimo, Dicæc. Goth.
EPISCOPO Celebratissimo, Gymnasi Scholarumque per
Dicæcesin EPHORO Adcuratissimo, Consistorii
PRÆSIDI longe Gravissimo,
MÆCENATI MAGNO.

Umbraculum mihi in naturæ campis æstuofissimo tempore lassescienti quæsiturus, quod Tu in omnes impigros scientiarum cultores præsidio benignissimo præoptarem, inveni profecto nihil. Hoc ceu ægide tutissima obfirmatus impigre in stadio pergere non defatiscor, dudum persuasissimus fore, ut quem in Historiam Naturalem declariasti adfectum, dum primus eam in Lycæum Gothoburgense introduxisti, mihi quoque illius cultori assiduo haud sis denegaturus. Studium Historiæ Naturalis, ut laboriosissimum, ita TUI, VIR Reverendissime, similes requirit Mæcenates, qui benefica provident cura, ne quæ peregre aliarum disciplinarum gratia abeuntibus larga concedant subsidia, harum ii sint expertes, qui huic operam navant studio, quod ut totum fere peregrinatorum nec minoris, quam cætera, momenti hoc maximo contendere videtur jure. TUUM itaque sit, VIR Reverendissime, humillime obsecro, me, quem hoc studium totum in sui amorem & cultum tantum non rapuit, beneficentissimo TUO favore beare; meumque vicissim, ut semper est & fuit, pro perenni tuo flore vota nuncupare assidua eaque minime ficta, quoad mihi licuerit a deo esse felici, qui vociter

REVERENDISSIMI TUI NOMINIS

Cliens humillimus
LAUR. J. MONTIN.

*Admodum Reverendo atque Praeclarissimo
VIRO,*

MAG. JONÆ M. MONTIN,
S. S. Theol. in Reg. Gymnas. Gothoburg. LECTORI
Primari. Fidelissimo, Consistorii ADSESSORI Aequissimo,
PASTORI & PRÆPOSITO Dignissimo,
PARENTI Optimo.

Emicuit tandem lux illa letissima votisque diutius optata,
quæ, pii in TE, PARENTE Carissime, animi publice
declarandi ansam mihi offert; quam si prætermitterem,
ingratissimus merito judicarer. Etenim adeo prodigus semper in
me fuisti, ut me unum paterno affectu fovendum TE habuisse
facile videretur. TIBI, post summum rerum humanarum Sta-
torem, vitam & fundamenta ingenii, si quod in me est, cultus,
TIBI Tuisque sumptibus largioribus meas qualescunque in literis
progressiones debo: TIBI itaque opellam hanc ut fructum quen-
dam itineris TUUS impensis instituti, tesseramque pietatis consecro,
adjunctis precibus & votis ad thronum gratiae jugiter deponendis,
velit beneficentissimus omnis boni Remunerator TUM, PA-
TER Optime, senectam ita forti brachio suo suffulcire, ut ad-
huc in ejus letissimo praesidio ovans diutius rebus humanis in-
teresse queas, quo nulla ejus nominis in secula celebrandi faven-
tior adest materia

PATRIS INDULGENTISSIMI

filio obsequientissimo

LAUR. J. MONTIN.

VIRIS

Admodum Reverendis atque Praeclarissimis,

D:o JACOBO COMENIO,

*Eccles. quæ in Söndrum colligitur, PASTORI Dignissimo,
Fidissimo.*

Mag. MATTHIAE EKSTRÖM,

*Ad Reg. Gymnasium Gothoburg. Hist. & Mor. LECTORI
Vigilantissimo, Designato Cætus Christiani, qui sacrorum
peragendorum caussa in Tanum congregatur,
PASTORI Meritissimo.*

MAG. CAROLO LEONHARDO
DRYANDRO,


Eloqu. & Poës. LECTORI in florentissimo Gymnasio
Gothob. Meritissimo, Consistorii ADSES-
SORI Æquissimo,
Adfinibus Dilectissimis.

Primitias has suorum in Botanicis tentaminum, ut
sinceræ in VOS pietatis documentum, VESTRO-
RUM erga se meritorum memor consecratas vo-
luit, qui in votis pro VESTRO perennanti flore & fe-
licitate tamdiu permanebit, quam vivere contigit

Admodum Reverendorum Nominum
VESTRORUM

observantissimus cultor

LAUR. J. MONTIN.



§. I.

Naturam scrutantes ardentissima & sane peculiari perfundi voluptate, qui eorum itinera aqua perpendent lance, nullo negotio perspicient. Nihil enim tam difficile, tam arduum nihil, quod intentatum relinquit peregrinator impiger. Non regiones modo pervagatissimas peragrat, verum infido quoque se committit neptuno, si modo regionum longius dissitarum Naturalia detegere possit, licet cum valetudinis, immo ipsius saepe vita discrimine; cuius de veritate historiæ plurimorum clarissimorum Botanicorum nos convincunt. Lustratis sic exterorum atque hominum haut raro barbarorum agris, pratis, campis & silvis, nisi præruptos montes geluque rigentia superaverit alpium cacumina, officio strenue esse functum vix sibi persuadebit.

Eodem, L. B. ductus amore, iter, svasore Nobil. Dom. *Præside*, annuente quoque Celeberrima Societate Regia Scientiarum Upsaliensi, in *Zapponiam*, remotissimam Regni Sviogotici provinciam, ineunte proxime praeterito anno, instituere decrevi, ut rarissimos ibi naturæ thesauros peruestigarem examinique subjicerem.

Omnia jam late virent & vigent, cum, *Uppsalia* die XVI Maji relicta, *Holmiam* peto, ubi navem concendo, que paucis interjectis diebus *Luleam* Westrobotniæ urbem adpellitur. Iter adverso flumine Lulensi accelerari jubet ingruens æstas. Quare in densas & atras Lapponiæ silvas intro, ac brevi ad sacras Lapponum *Kwickjocksen-*

A

rium

winter

sium ædes (α) juxta ipsas alpium radices (β) positas die XVI Junii pervenio. ingens, qua flagravi, cupido mon-
tes altissimos (γ) & nivulos proprius inspiciendi omnem
requiei antam mihi præripuit, nec ullum metui reliquit
locum, quin alpes (δ) earumque juga transcendenterem, &
ultima adtingerem Norvegiæ littora. Qvibus una cum
templo Rœrstdiensis visis, eadem, tempestate coactus, per
vestigia Finmarkiam, alpes, Lapponiæ deserta (ϵ), Lule-
amque repeto; nundinas præterea Calicenses (ζ) inviso, si
forte

(α) *LICHEN*, qui Lichenoides foliorum laciñiis crinitis. Dill. Musc. 149.

t. 20. f. 42. quem e *Virginia* habuit. Dilleniūs, ego in lapide prope no-
minatum templum reperi, foliis margine crinitis, superficie cana; peltis
sparsis, cylindricis, truncatis; apice duplo vel triplici annulo ter-
minatis, perforatis. Dicendus: *LICHEN* foliaceus ciliatus, peltis cy-
lindricis rectis sparsis perforatis truncatis; duplo circulo.

(β) *SAXIFRAGAM* unifloram bulbiferam Fl. Svec. 351. Lapp. 172. t. 2.
f. 4. Nobil. Dom. Præses ubique legit caule simplicissimo; ego autem ean-
dem, licet in alpibus etjam simplici caule semper viderim, nihil minus
extra alpes nata sepius mihi occurrebat caule ramosissimo: tenuitas ta-
men partium vetat eandem numerare inter varietates *Saxifrage* offici-
narum.

(γ) *MOEHRINGIA* Fl. Svec. 316. que *Sagina* Fl. Lapp. 158 a me copio-
sius reperta est, semper staminibus decem & stylis tribus; hinc ad *A-*
RENARIÆ genus amandanda.

(δ) *GRAMINA VIVIPARA* in alpibus sepius evadunt, uti *AIRAE* Fl. Svec.
63. β . *POA* 79. β . *FFSTUCA* 94. Fiunt autem vivipara, dum glume
interiores, vulgo pro petalis habitie, exorescent in folia; tumque abor-
tiunt. & stamina cum pistillis plane evanescent.

(ϵ) *COLICAM SPASMODICAM* Lapponum a *GORDIO* cauſari, prout
hoc divinavit quondam Nobil. Dom. Præses Fl. Lapp. pag 69. ϵ , nunc
mihi certo certius constitit ex observatione Lapponum, qui *Gordium* se-
pius caute e corpore extraxerunt. *TÆNIIS* etiam vexari Lappones
& Novaccolas, frequens est; *Lumbricis* vero non intellexi; dubito
etjam valde, cum *Lumbrici* vix in Lapponiæ terris inventantur.

(ζ) *COLTMBUS* minimus Faun. Svec. 123. habet remiges brevissimas
& ad volandum inutiles; hinc locum, mutando solum, mutare potest,
& in fundo lacuum atque fluviorum more *Hirundinum*, ab omnibus suis
ad finibus derelictus, hincare cogitur; ut uno ore Westrobothnienses narra-
runt.

forte quid circa commercia Westrobotnienſia obſervatu dignum invenirem. Postquam Westrobotniam valere tandem juxteram, Holmiam itinere iterum navalı, transactis viginti fere ſeptimanis, die XXVI. Septembris redeo.

Terram itaque iſpis fere ſub arctis ſitam non peragrare ſolum, ſed herbas etiam plantasque plurimas, & a b. m. Archiatro Rudbeckio (Filio) anno 1695, & inprimis a Nobil. Praefide anno 1732 diligenter ac inſigni cum labore conqūitas, per Lapponiam (7) & alpes Lulenes inſpicere atque legere mihi contigit; quarum haut paucis Hortum Academicum locupletavi. Majorem quidem jucunditatē flora a nullo antea viſa ad fert; meꝝ tamen exſpectationi cumulate ſatisfecit lapponica. Licet enim hoc modo Duorum de republica botanica ſumme meritorum Virorum, inprimis N. D. Arch. Linnæi veſtigia preſſerim; nihil minus quasdam fortuna mihi obſervationes (9) atque unam alteramve (1) floræ noſtræ civitati antea incognitam reſervavit; quarum unam, Plantam

A 2

five

(7) Euporifum in Colica Lapponibus eſt decoctum Salicis. Fl. Svec. 811.

(9) CUCUBALUS Fl. Svec. 363. Lapp. 181. t. 12. f. 1. bujus varietas ſemel a me lecta eſt, corolla exſtante, neō intra calycem occultata, petalorum limbis lineæ longitudine, albis, fulcis tribus exaratis.

(1) JUNCUS gluma biflora terminali. (Fig. III.)

Habitat in locis paludosis alpium Lapponiarum, leſtus in ſummitate montis Snirack. Descriptio novæ ſpeciei Junci hęc eſt.

Radix fibroſa, ſimplex, perpendicularis, perennis.

Scapus pollicem transversum longitudine parum ſuperans, teres, fria unica longitudinali notatus, inferne ad radicem rudimentis foliorum emarginatum, ſuperne vero vaginā folii veſtitus.

Folium unicum, longitudine ſcapa, nitidum, ex tereti ſubulatum, ſcapa duplo crassius, tubulosum, apiee ſpatelatum; infra canaliculatum, ſcapum a medio ad basin undique vaginans. Folia 4 ad 5, que in ſimam caulis partem cingunt, mutata ſunt in ſquamas, & reliquias tantum preteritorum annorum offendunt.

Gluma bivalvis & biflora ſcapum terminans. Valvula exterior magna, ovata, acuminata, nigro-purpurea, dorſo viridis, carinata (Fig. c.) inferior duplo minor, acuta, undique nigro-purpurea.

sive Muscum omnium per totam rem herbariam rarissimum fere & speciocissimum, vulgo *MUSCUM UMBRACULATUM*, orbi botanico communicare non potui non specimen editurus academicum. Præsertim cum ad vivum legere & examinare mihi nominato sub itinere liuerit Muscum hunc.

§. II.

Res summas initio deberi parvo ac debili, experientia omnium temporum testatur. Quis itaque sanus mirabitur, cognitionem Muscorum anno 1620, circa tempora *Caspari Baubini*, adeo fuisse exiguam, ut tunc temporis, e scriptis librisque Botanicorum facile omnium, species solummodo XVI colligere & in lucem publicam proferre veras & distinctas sustinuerit summus Botanicus? Sequentibus autem temporibus studio & labore indefesso *Raji*, *Morisoni*, *Bobartii*, *Sherardi*, *Vartlantii*, *Michelii*, & cæterorum, præcipue vero nostro ævo botanici consummatissimi atque ad Muscos indagandos re vera nati *Dillenii*, ita omnino crevit illorum numerus, ut *Historia Ejus Muscorum*, opus tanto Autori dignum & in re botanica fine pari, CCXXXVII circiter diversas anno 1741 enumerare potuerit species.

MUSCORUM sub nomine plantæ, ejusmodi a Nob. Dom. *Præside insignitæ vocabulo*, mihi tantum veniunt, quæ sunt *Vegetabilia cryptogamica*, *Antheris polliniferis Perianthio & corolla destitutis*, a *Pistillo distinctis instruta*; & sic cum Al-

Perianthium (Fig. a.) *hexaphyllum*, foliolis glume concoloribus tribus tamen exterioribus linea virescente longitudinali in medio lateris interioris notatis, lanceolatis, parte inferiore angustioribus (Fig. b.)

St. Filamenta (Fig. d.) sex, alba, quoram tria foliolis perianthii interioribus opposita prope basin, reliqua ad basin germinis adfixa; omnia ad altitudinem eandem finiuntur. (Fig. e. EE)

Pistilli Germen triquetrum, obtusum, angulis quodammodo ciliatum; *Stylus unicus*; Stigmata tria purpurascensia, pubescentia, longitudine stylis (Fig. f. F.).

Algis, sive sint Lichenes, sive Marchantiæ, sive Jungermanniæ, sive Conservæ, sive aliæ, nihil quidquam commercii quoad ordinem habeant. Inter se ipsos autem genera Muscorum facili negotio distingvuntur; ex illis enim, qui gaudent

a. Calyptra nulla

Lycopodium antheram habet nudam, bivalvem, sessilem.

Sphagnum antheram nudam, operculatam.

Porella antheram nudam? multilocularem, foraminibus perforatam.

b. Calyptra imposta.

Fontinalis antheram habet subsessilem, Perichatio comprehensam.

Polytrichum calyptram villosam pedunculo ex apice ramorum.

Bryum calyptram lœvem, pedunculo ex summitate ramorum.

Hypnum calyptram lœvem, pedunculo e lateribus ramorum.

Mnium calyptram lœvem, pedunculo ex apicibus ramorum, sed alibi capitella pulverulenta, nuda, nec membra vestita.

§. III.

Muscum umbraculatum norvegicum seu rubrum, una cum alia specie nobis nota umbraculo flavo, verum esse Mulcum, vasculum consideranti pollinaceum patet. De genere itaque omnium primo inquirendum, ut successu feliciori procedat pertractatio specierum. Unam horum speciem, paucis, immo paucissimis Botanicis antea cognitam, ad nullum genus, dubia existente calyptra, amandare perfectiora desiderantes specimenia sunt ausi Botanici.

Cum vero Musci umbraculati calyptra ita omnino careant, teste propria experientia, ut ne signum quidem illius adsit; nullus inter *Bryæ* aut *Mnia* jure illis adsignetur locus.

locus. *Hypni* characterem in anthera calyprata & pedunculo e latere exeunte consistere dixi; qvæ notæ in nostris fructuæ fruſtra qværuntur. Nonnullæ *Polytrichi* species apophysi seu margine exiguo & vix nudis oculis detegendo, basin antheræ cingente, gaudent, qui cum umbraculo horum nondum expanso aliquam similitudinem habet, & characterem *Polytrichi* nobis porrigeret, defumto a calyptra villosa, meliorem forte tutioremque; quamvis Musci umbraculati, calyptra destituti, nulla ratione cum *Polytricho* calyprato conjungi possint. Cum *Fontinali* genere convenire calyptra vetat; immo perichæthium. A *Lycopodio* & *Porella* toto cælo differunt. Qvare unicum *Sphagni* genus supereſt; cuius characteri proprius accedunt, licet quemcumque botanices peritum ingens non fugiat discrepantia; 1) anthera ore ciliato, nec ut in Sphagno integerrimo; 2) apophysi membranacea, capitulum excedente, colorata, reflexa, nec ut in Sphagno apophysi minima, rudi, erecta; 3) floribus feminineis stellatis ut in *Polytricho* & *Bryo*, quæ in Sphagno defunt. Ut taceam membranam fugacem inter apophysin & antheram *Sphagni*, qua nostrum genus omnino caret.

Hinc, cum rarissimos nostros Muscos umbraculatos respuant genera Mulcorum antea cognita, nec præterea notam nuper nominata evidentiorem possideant, mei officii esse existimavi novum stabilire genus, cuius characterem tam naturalem quam essentialē heic sisto, & quidem primo

Characterem Naturalem.

* *Masculus flos* pedunculo ex apice ramorum elevatus.
CALYX *Calyptra* nulla.

ANTHERA cylindrica, dehiscente *oris* margine acute crenato, erecto, Operculo hemisphærico exterius obtecto.

UMBRA-

UMBRACULUM expansum, membranaceum, orbiculare, maximum, sub anthera.

* *Femineus flos* in diversa planta.

CALYX stellaris, terminalis, sessilis, compositus foliolis pluribus, subulatis, undique divergentibus congestis.
PISTILLI filiformes, centrales.

Characterem Essentialēm.

ANTHERA nuda, operculata, umbraculo membranaceo orbiculari maximo imposita.

Genericis itaque Characteribus propositis, *Nomen antiquum*, SPLACHNUM, huic adjungam, mutuatum a Dioscoride, qui Muleis hoc impotuit. Nomen genericum characterem essentialēm exprimens in promptu quidem me habuisse, non erit diffitendum; sed, ne mori a Botanicis recepto contrarius videret, svadente etiam *Fund. bot.* §. 241, vagum illud certo generi præfigere volui. Origo hujus nominis omnino est græca, a voce ΣΠΛΑΓΧΝΟΥ, abjecta litera γ, suos ducat natales.

§. IV.

SPECIES duas novo *Splachni* generi legitime stabilito adnectam; quarum, quamvis sibi invicem valde similium, veras differentias in praxi botanices vel leviter versatus inveniet. Nam in modum Bryi, foliis ad summitem caulis congestis, acumine angusto terminatis, & pedunculo seu seta ex apice caulis prodeunte, utraque crevit. *Capitula* præterea earum paullo adcuratius inspicientes truncata, rostro five acuminne apice concavo prædicta, operculo tecta, observabunt. In primis vero utriusque umbraculum initio virescens parte superiore basi capituli adfigitur, inferiore autem pedunculo cohæret; quod postmodum magis magisque extensem colorem mutat. Quum adeo convenienter in plurimis, notam quoque singularem sibi communem habeant, quin ad idem genus referantur, in dubium venire non potest. Utrum vero

vero tanquam distinctæ species sint sejungendæ, nec ne, inquirere mihi nunc incumbit.

Differentias nostrarum plantarum a diversa foliorum figura, quæ in lutea latior, studio supersedeo, meque ad considerandum umbraculum confero, cuius dissimilitudo omnium in se convertentium oculos necesse feriat. Etenim species prius detecta, ratione *coloris*, primo discrepat ab altera, cum saturate rubro illa, haec autem dilute flavo gaudeat; qui colores haut facile pro individuo variante possunt, experientia dictitante, haberi. Licet enim color ruber in album tæpius mutetur, in luteum tamen rarissime, si plantæ, quæ omni modo omnibusque coloribus ludunt, excipientur. Adtentum omnium maxime *figura umbraculi* meretur oculum, quæ Rubræ est convexa in modum campanæ seu hemisphærii, Luteæ autem, ad maturitatem perductæ semper horizontaliter plana, ante maturitatem vero conica, nec unquam convexa. Hicce suffultus rationibus nominatos Muscos in duas jure quodam meo distinguo species, additis constantibus differentiis specificis, synonymis quoque & locis natalibus.

I. SPLACHNUM umbraculo convexo. (Fig. II.)

Muscus norvegicus, umbraculo ruberrimo insignitus.

Pet. mus. 70. t. 1. f. 10. Raji hist. pl. Vol. III. p. 37. Buxb. act. petr. III. pag. 271. Dill. hist. musc. app. p. 547. t. 83. f. 9.

Muscus aureus capillaris minor norvegicus, summo caule ad capitulum scutigerus. *Pluk. alm. p. 246.*

Muscus coronatus norvegicus, pediculo longissimo, umbraculo ampio. *Moris. hist. oxon. Vol. III. p. 630. n. 10.*

Lichen, capillaceo folio, elatior, pelvi ruberrima. *Tourn. inst. pag. 550.*

Valgo: *Splachnum rubrum*.

Anglice: *Wheler's Bongrace-Moss.*

Habitat in *Norvegia* ad *Portsgrand*; *Rich. Wheler.* In *Sibiria* omni; *Gmelinus.* In *Finlandia* prope *Aboam*; *Argillander.* Locis turfosis, humidis, umbrosis.

2. SPLACHNUM umbraculo plano. Fig. I.

Vulgo: *Splachnum luteum.*

Svetice: *Parasol-mässa.*

Habitat in *Lapponia Tornensis*; *Adlerheim.* In udis *Lapponiae Lulenfis* prope *Tjomitis*, ad latus montis alpini *Snickack*, ad *Jockmock*, & in *Westrobotnia* ad ostium fluvii *Calicensis*; *Ego.* Floret mense Junii ineunte.

§. V.

HISTORIAM utriusque speciei, ne quid prætermisisse videar, in sequentibus percurrere mihi animus est. Ut vero justo sit procedendum ordine, quidquid de priori a Botanicis, quibus per Dom. *Rich. Whelerum* innotuit, observatum invenitur, primo proferam, historia in duos divisa periodos ratione detectionis, cum non nisi tribus Botanophilis, quantum mihi est cognitum, illam legere contigerit.

RICH. WHELERO primæ hujus Musci inventionis gloria tribuenda, qui anno 1695 illum ad *Portsgrund* in *Norvegia* lectum cum *JACOBO PETIVERO* communicavit. Clarissimus hic Botanicus ejusmodi raram plantam e tenebris protractam, quæ *Museum* suum, *petiverianum* dictum, intraret, dignam reputavit; ubi etiam pag. II. n. 70. t. I. f. 70. occurrit sub nomine "MUSCI Norvegici, umbraculo" ruberrimo insigniti; una cum sequenti bistoriola: We owe the discovery of this elegant Plant to my Kind Friend Mr Richard Wheler, who gather'd it near *Portsground* in *Norway*, and for its singularity and likeness, i think it may"

"not very impropperly becalled his *Norway Bongrace Moss*,
Huic etiam iconem primam, parum tamen bonam addi-
dit, quæ folia angustiora, pedunculum longiore &
curvum; umbraculum crassius & plicatum, vasculum
turbanatum minusque, quam revera est, repræsentat.
Petiverum a singulari structura deceptum, fungum, e sum-
mitate cujusdam Musci enatum, pro Musco habuisse,
plurimis perturbavit manca illa historia.

PLUKENETIUS acceptum a *Petivero* anno 1696 in *Alma-
gesto* pag. 246 sequentibus proponit verbis: "MUSCUS au-
reus capillaris minor Norvegicus, summo caule ad ca-
pitulum scutigerus: Ejus enim capitula umbellæ fatis am-
plæ, elegantis phœnicei coloris, scutum quodammodo
referentis medio (convexa parte) innituntur, ad Dom.
Petiver. ex Norvegia misla est., Neque verbis *Plukenetii* ad-
latis notitia ejus evasit clarior, imprimis cum nullam de-
derit figuram.

BOBARTUS in *Historie plantarum Morisoni Vol. III.* anno
1699 edito & quidem pag. 630. n. 10. hunc introducit.
"MUSCUS coronatus Norvegicus pediculo longissimo,
umbraculo amplo. Notitia speciosissimi hujus Musci
Dom. *Petiver* (qui ex adsveta industria e *Norvegia* adqui-
sivit) debita est. Folia ej angusta, præcedentibus simi-
lia, per unciam longitudinem caulinum conves-
tunt; e quorum medio erigitur pediculus nudus, graci-
lis, laevis, 4 aut 5 pollices altus, qui umbraculum ro-
tundum semunciali diametro, compressum, ruberrimo
colore infectum, in summo suffulcit,, Primus itaque
descriptionem quamvis imperfectam dedit, cui sed. 15. t.
7. f. 10. iconem adnectit petiverianam.

RAJUS quoque Musci supra commemorati mentio-
nen in *Historie Plantarum Vol. III.* quod prodiit anno 1702,
pag. 37. faciens, nomine verbisque *Plukenetii* & *Petiveri*
contentus nihil quidquam addit. Forte, deficiente hu-
jus

jus cognitione, debitam ei adferre lucem nec *Is*, nec *Tournefortius* potuit, ut me credere svadet nomen, quod illi *TURNEFORTIUS* in *Institutionibus* pag. 550. tribuit, specificum: "LICHEN capillaceo folio elatior, pelvi ruber" rima, "Quum neque descriptionem neque iconem e-mendaverint, sed sicco, quod ajunt, pede præterierint.

§. VI.

Sic ostendi, Muscum illum a *Whelero* primo detectum quinques a Botanicis, *Petivero* nempe, *Plukenerio*, *Borivo*, *Rajo* & *Tournefortio* fuisse commemoratum. Quare ejus fa-ta sub periodo secunda, dum inventores circa *Lenam Sibiriæ* fluvium agnoscit Botanicos regni Rhutenici, con-fiderare me jubet ordo.

BUXBAUMIO missæ plantæ locus in *Actis petropol.* Vol. III. pag. 271. conceditur, non sine reprehensione *Tournefortii*: "Genuina Musci species est *Muscus Norvegicus umbraculo ruberrimo insignitus*. Mus. petiv. quem *Tournefortius* incongrue Lichenibus accensuit, & *Lichenem capillaceo folio elatiorem*, " *pelvi ruberrima*, vocat, deceptus forte a scuto, quod hic in summo fert pediculo, cum sciret, multos ex Liche-nibus esse scutigeros. Sed hoc scutum in ho: Musco" vices gerit calyptæ, summo nempe capitulo pyriformi impositum, & est calyptæ quasi expansa, quod jam ob-servavit *Plukenerius* in *Actis petropol.*, qui inquit, quod ejus ca-pitula umbellæ satis amplæ, elegantis phœnicei coloris," scutum quodammodo referentis, medio innitantur., Hinc *Buxbaumium*, illo viro, observasse vacula patet; quantum autem, umbraculum vaculo in modum calyptæ imponens, a vero aberraverit, situs demonstrat con-trarius.

DILLENIUS tandem per Clar. Joh. *Ammannum* speci-men hujus habuit, cuius descriptionem, ab *Historie Musc. appendice* & pag. 547. desumtam; uti ultimam ita optimam coronidis loco adferam. "Junior umbellam parvam sub-

"viridem habet, cui capsula insidet parva cum operculo obtulo, figuræ turbinatæ: setæ breviores, subter umbellam turgidiuscum, velut receptacula videntur materialæ pulverulentæ, ad capitulum transmittendæ. Paullo perfectiores, capsulæ majores & umbellæ nonnihil ampliores fiunt, colore obscure purpureo: seta subrubet, cujus pars superior & crassior umbellam ingressa, per eam translucet. Postea umbellæ magis auctæ colore saturanter rubro tinguntur: Capitula, operculo dimisso denticulatae fiunt, & diflata farina setæ receptaculum evanescit: setæ jam longiores factæ magis rubent. Adultior umbellas latiores saturanter rubras, setas porro longiores & magis rubentes obtinet. Figura hæc (D) ad siccam plantam gazophylacii Grilb. Sherardi facta, in qua duæ ex eadem planta setæ & umbellæ egrediuntur. Capsule per maturitatem ochreo colore sunt: umbellæ tenues, membranaceæ, subtus cavæ, quibus seta inseritur. Folia latiuscula, nervo distincta, dilute & late viridia, in mucronem producta, tenuia, pellucida, in plantis aquæ immersis, qualia figuræ A. B. C. repræsentant. Calypræ defunt: videntur præcoces & caducæ. Umbellæ pro his haberri non possunt, quoniam hæ perstant & subter capsules locantur. Videntur respondere Bryi specierum 3, 4 & 5 capsularum ventri, quin & capitula, opercula & folia multum cum illis habeant similitudinis, ut Bryi speciebus non incongrue forte accenseatur hic Muscus; verum qui nascentem videbunt, adecuratius poterunt statuere. Umbella in omnibus nostris exemplaribus non planæ & expansæ sunt, ut Petiverus pingit; sed demissæ, pallii instar, pendent.,,

Quidquid igitur in hunc usque diem observatum scriptumque sit, & ad ejus dilucidationem conducat, propofui, si modo unicum addere liceat. Anno 1748. Uptaliam Abrah. Argillander, Medicinæ studiosus, natione Feno, studiorum gratia adit; cujus inter plantas siecas

cas *splachnum* umbraculo rubro Nobil. Dom. *Præfidi* occurrit, quod loco depresso ac paludoſo ad pagum *Wanhalinda*, leptentrionem versus ab urbe Aboensi, inter abietes legerat. Qvum ad maturitatem jam pervenissent specimina præſentia; num calyprata, an nuda fuſſet capsula, determinare haut potuit Nobil. Dom. *Præfes.* Quare me omnesque ſuos diſcipulos ad plantam adeo rāram & ſpeciosam invergandam examinique adcurato ſubjiciendam, eſt adhortatus.

§. VII.

Me historiam prioris ſpeciei adducentem aliorum judiciorum & descriptionum mancarum jam pertaſsum eſt; quam ob rem *Alteram ſpeciem* eo libentius adgrediar, quo major mihi meas obſervationes circa viva & ad omnes partes perfecta exemplaria exponendi anſa porrigitur.

Plantas nonnullas rariores, quæ Lapponiam Tornensem ſolum natale agnoſcebat, quarum una erat hæc umbraculo luteo, rei metallicæ per *Westrobothniam* Præfectus, Celeb. Dom. *Præfidis* comes olim itinerisque Gotlandici ſocius, Nobil. Dom. *PETRUS ADLERHEIM*, plantarum & ſcientiæ botanices aſtimator egregius, anno 1746 ad Nobil. Dom. *Præfide*m iſiſit. Huic ad officinam ærarium *Kengis* inventæ nomen ſuccicum (*Parafol - Måſſa*) impoluit. Anno ſequente vivus muſcus, una cum aliis lapponicis ad hortum noſtrum academicum a Viro nuper laudato miſſus eſt, ſed brevi periit. Ex hiſ patet, Nobil. Dom. *Adlerheim* primæ detectionis honorem promeritum fuifle.

M/H!, qui ante incepturn iter lapponicum hæc omnia a D. *Præfide*, cognita habui, hujus invergandi ſpes jamjam erat. Nec opinione deceptus. Vix enim in conspectum venerant nivofæ alpes, cum non procul a domo, *Tiomitis* diēta, cuiusdam Novaccoleæ ad arbores palude ſepultas putridasque noſtram plantam copioſe creſen-

crescentem conspexi. Paucis interiectis diebus, montem alpinum *Spirack* descendens, vegetabilia alpina quæ siturus, ad ipsius montis latus eandem ioveni, quæ deinde sub toto itinere oculis meis tele subduxit, donec revertenti ad ripam lacus Purkiaurense, milliare unum cum dimidio a templo Jockmackensi distante, iterum occurrit. Tribus his e locis adparuit pulcherrima fructificatione; verum quarta vice caules pedunculis destituti circa medium Augusti ad littus oris fluvii Calicensis in *Westrobothnia* a me sunt visi.

Occasionem itaque hujus per omnes ætates a prima infantia ad senectam usque decrepitam inspiciendæ, examinandæ & sufficienter describendæ habui felicissimam. Hisce observationibus innixus non modo dicere, Museum hunc omnino calyptra carere, verum novum etiam condere genus, atque characterem imponere sum auctor. Ut autem omnes Botanici cognitionem hujus speciei sufficientem & claram obtineant, adjungam descriptionem secundum leges botanicas factam.

Mas. Fig. I. 1. 2. 3. 4. 5. 7.

RADIX fibrosa, perpendicularis, vix ramosa.

Caulis simplicissimus, foliatus, rectus, perennis, teres, glaber, longitudine dimidii pollicis, interdum lineaæ latitudinem vix superans.

Folia sparsa; *summa* dimidiæ caulis longitudinem adtingentia, obverse ovata, integerrima, nitida, pellucida, obtusa cum acumine; *infima* quadruplo minora; omnia patentia, carinata.

Pedunculus fere digitalis, ex aureo purpurascens, ad apicem magis magisque dilute viridis.

Anthera ex rubro fusca, cylindrica, supra operculo, infra umbraculo donata; operculo decidente, remanet in margine superiori antheræ corona membranacea, acute ad basin in plures valvulas dissecta, quæ prout umbraculum

lum in planum expanditur, deflectitur ad latus antheræ, quam arcte cingit; in medio tummitatis antheræ conspicitur parvum corpus columnare, apice excavatum.

Operculum parvum hemisphæricum, ferrugineum; sub quo pollen viride reconditur.

Umbraculum ante expansionem viride (Fig. I.) tum quoque margo ejus pedunculo omnino adnatus in formam turbinato-ovatam (Fig. 2.); postea a pedunculo solvitur, expanditur (Fig. 3.4.5.), donec horizontale evadit (Fig. 7.), dum color paullatim in luteum abit; supra glaberrimum, infra reticulato-rugosum.

(*Femina*. Fig. I. 6.)

Radix tenuissima, fibrosa, simplex, perpendicularis.

Caulis ejusdem fere cum Maris longitudine, integer, foliatus.

Folia *suprema* 3 vel 4 lanceolata, viridia, distantia; *inferiora* setacea, prioribus multo longiora, fusca, numerosa.

Capitulum terminale, sessile, rotundum, in vertice foliolis subulatis illo duplo longioribus in modum stellæ coronatum, cuius medium fili nudis oculis vix perceptibles occupant.

Plantæ hæ femineæ ad nullam aliam pertinent, cum eas eodem loco ac malculinas, nec alibi constanter inveniri; propiores deinde collocatæ essent ad indicandum arctum earum connubium; tandemque terram limosam & udam, ubi nullæ aliæ cryptogamistæ ante oculos veniebant, amarent.

Muscorum omnium vere speciosissimi sunt hi nostri, nec pulchritudine aliis plantis perfectioribus cedunt; ita ut videatur summus Opifex illis, qui Muscos contentu habent, hoc uno os occludere, saltim suam Majestatem in parvis & simplicioribus perspici voluisse. O! quam jucunda sunt omnia Dei opera! quamvis minimam eorum particulam vix perspicere possimus. Quid sibi velint, interrogare non audemus; unum quodque enim ita creavit, ut aliquid omnino utilitatis habeat.

TABULA.

Fig. I. *SPLACHNUM* flavum.

- n. 1. Muscus nuper enatus ante expansionem umbraculi.
2. Ubi umbraculum incipit intumescere.
3. Umbraculum incepit dilatari.
4. Idem adhuc magis expandi
4. Cujus Anthera *aucta* antequam dehiscat.
5. Muscus naturali magnitudine a latere visus,
 - a. Anthera *aucta* ore dehiscere incipiens.
 - b. Anthera *aucta* oris denticulis naturaliter reflexis, remanente in medio columna.
- Umbraculum auctum indicans reflexum situm.
6. Femina hujus musci terminata stellula.
7. Muscus mas superne visus.
7. Naturali magnitudine.

Fig. II. *SPLACHNUM* rubrum.

1. Muscus adhuc tener.
2. idem adultior antequam anthera dehiscat.
3. idem ætate matura, anthera dehidente.
4. idem rarius dupli pedunculo, & naturali magnitudine.
4. idem microscopio visus umbraculo campanulato s. hemisphærico.
5. idem a Dillenio mutuatus, umbraculo inferne si-
mo s. repando, minus adcurate delineato.

Fig. III. *JUNCUS* gluma biflora terminali.

1. 2. Planta naturali magnitudine.
 - a. Corolla.
 - b. Petala.
- c. Glumæ universalis valvula exterior.
- d. Genitalia.
- e. Stamina. E. E. aucta magnitudine.
- f. Pistillum. F. idem auctum.

Fig. I.




Fig. II.





Fig. III.



Ioh. Gane delin. Uppsal:

C. Bergqvist sculpit.

Ante lib. ad. 1500